

Ad Plagam Manus dexteræ.

Amabilissime Jesu Crucifixe, ego humilissime provolutus, cum Maria SS. et omnibus Angelis et cœli Beatis, Sacratissimam Plagam Tuæ dexteræ Manus adoro. Tibi gratias ago propter infinitum amorem, quo tot ac tam asperos dolores tolerasti pro peccatis meis, quæ ex toto corde detestor. A Te gratiam exposco, ut Summum Pontificem de manu inimicorum Eius eripias, et ut omnes totius orbis sacerdotes, hodie missæ Sacrificium sancte ac devote celebrent. *Pater, Ave, Gloria.*

Ad Plagam Manus sinistrae.

Amabilissime Jesu Crucifixe, ego humilissime provolutus, cum Maria SS. et omnibus Angelis et cœli Beatis, Sacratissimam Plagam Tuæ sinistrae Manus adoro. A Te gratiam exposco pro miseris peccatoribus et pro moribundis, præsertim pro iis, qui Tecum reconciliari nolunt. — *Pater, Ave, Gloria.*

Ad Plagam Pedis dexteri.

Amabilissime Jesu Crucifixe, ego humilissime provolutus, cum Maria SS. et omnibus Angelis et cœli Beatis, Sacratissimam Plagam Tui dexteri Pedis adoro, et gratiam exposco, ut in Religiosis Ordinibus et Congregationibus plures sancti efflorescant. *Pater, Ave, Gloria.*



Jesus Crucifixus ad humanitatem reconciliatur

Ad Plagam Pedis sinistri.

Amabilissime Jesu Crucifixe, ego humilissime provolutus, cum Maria SS. et omnibus Angelis et cœli Beatis, Sacratissimam Plagam Tui sinistri Pedis adoro, et gratiam exposco pro liberatione Animarum Purgatorii, præcipue pro illis, quæ in vita sua erga Tuas Sacratissimas Plagas maiorem devotionem ostenderunt. *Pater, Ave, Gloria.*

Ad Plagam Sacri Lateris.

Amabilissime Jesu Crucifixe, ego humilissime provolutus, cum Maria SS. et omnibus Angelis et cœli Beatis, Tui Sacri Lateris Plagam adoro, et gratiam exposco, ut nostræ Diocesis Pastori benedicas et iis omnibus qui se precibus nostris commendant. *Pater, Ave, Gloria.*

Virgo dolorosissima, ora pro nobis (ter).

Jesu Crucifixe, per Tuæ Passionis merita, nostras preces exaudire digneris: nobis concede vitæ sanctitatem et gratiam recipiendi sancta Sacramenta in hora mortis et gloriam sempiternam. Amen.

Indulgentia 300 dierum *toties quoties*, applicabilis quoque Animabus Purgatorii.

BENEDICTUS XV, die 6 Maii 1915

Sodalitas SS. Crucifixi et Immaculatae Virginis Mariae, erecta Augustae Taurinorum apud Fratres Christianarum Scholarum, ex Decreto Archiepiscopali sub die 9 Maii 1914 et sub patronatu Rev. mi Domini Ep. Angeli Bartolomasi, est pia associatio, quae sibi finem proponit catholicos excitandi, et praesertim juventutem ad spiritum christianae pietatis, religiosae reparationis ac sancti zeli.

Sodalitas complectitur tres ceterorum classes, scilicet. **Catechistas, Zelatores, Adscriptos.**

Catechistas — sunt socii qui docent Christianam Doctrinam et speciales habent conventus, dies festivos et regulas.

Zelatores — sunt fideles qui adimant opera Catechistorum et quantum fieri potest, sequentia complent.

1. Quotidie exercent *Devotionem erga Jesum Crucifixum* et hanc *Devotionem* omni modo propagant.

2. Saltem semel in mense ad Sacramentum Eucharistiae accedunt.

Adscripti — sunt fideles qui quotidie *Devotionem* erga Jesum Crucifixum exercent.

Ut quis admittatur, tamquam **Zelator** vel **Adscriptus** huic Sodalitati, oportet ut ad Directorem sequentes indicationes praebent: *Cognomen* et *Nomen* — *Domicilium*, *Categoriam* (Zelatores aut Zelatrici, Adscripti aut Adscriptae).

Inscriptio est gratuita, sed si in auxilium Sodalitatis aliquid offertur, non recusatur.

Zelatores et **Adscripti** participes fiunt Indulgentiarum, quibus gaudet Sodalitas et omnium bonorum, quae a sociis proveniunt.

Sodalitas **GRATIS** diffundit schedulas spectantes "*Devotionem erga Jesum Crucifixum*", easque remittit iis qui easdem a Directione requirunt (Via S. Massimo, 21 - Torino) (2).

AUTOGRAPHA.

Dominum oramus, ut suis gratiis repleat Moderatorem et Adscriptos Piae Sodalitatis SS. Crucifixi canonice erectae in civitate Taurinensi, eo fine ut Sacerdotes, sive voce, sive exemplo et saeculares sanctitate vitae debeant semper *prædicare Jesum Christum et hunc Crucifixum*.

Ex ædibus Vaticanis, die 18 Ian. 1915.

BENEDICTUS XV.

Adscriptis Piae Sodalitatis SS. Crucifixi, quibus Sanctitas D. N. Benedicti XV benedixit, Nos pretiosis eius verbis adhaerentes, ex parte nostra spiritum sanctae compunctionis et electarum gratiarum copiam ominamur.

† AUGUSTINUS CARD. ARCHIEP.
TAURINEN.

Die 13 Martii 1915.

V Nihil obstat.

Augustae Taurinorum, 5 Sept. 1921.

Can. CAROLUS FRANCO, Censor Archiep.

V. IMPRIMATUR.

Can. FRANCISCUS DUVINA, Prov. Gen.

DEVOTIO ERGA JESUM CRUCIFIXUM

Huius devotionis scopus.

1. Reparare tot iniurias quas Jesus accipit ab impiis, a blasphemis hominibus et ab ingratis, qui eundem a scholasticis aulis, a familiis, a societate expulsum vellent.

2. In omnium cordibus excitare peccati detestationem, amorem erga D. N. Jesum Christum, desiderium frequenter et cum fervore in Sancta Communionem Illum recipiendi.

3. Promovere apud familias vitae christianae rationem, rectam juventutis institutionem et peccatorum conversionem.

Modus hanc devotionem exercendi

Si possibile sit, genuflectatur coram Imagine Jesu Crucifixi, reverenter Eius quinque Plagae adorentur, et petita venia sive priorum, sive aliorum peccatorum, sequentes Orationes recitentur:

† Deus, in adiutorium meum intende.

‡ Domine, ad adjuvandum, me festina.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper et in saecula saeculorum. Amen.